



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

32. An in aliquibus casibus concubinarius non teneatur è domo expellere concubinam, itaut Confessarius possit ei licitè absolutionem impendere?
Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2. res. 108.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. XXXI.

An prima vice concubinarium sit absolvendus, etiam si concubinam non eiciat?
Et an hoc etiam procedere debeat quoad eos, qui est concubinarium non sint, populus tamen credit tales esse? Ex part. 5. tractatu 14. & Miscell. 2. Resolution. 107.

§. 1. Negativè respondet Navarr. cap. 16. n. 20. Sylvest. verb. concubinarium q. 2. Chapea- villa de cast. refero. in fine. fol. 386. ubi docet concubinarium, etiam si detestetur peccatum, & proponat emendationem, nunquam censendum esse contritum, nisi concubinam è domo eiciat. Et hanc etiam sententiam docet Anton. Fernandez in infr. Confess. edit. 2. p. 1. docum. 8. num. 6. ubi sic ait. [En el mas fuerte caso del que tiene la manceba en casa, algunos dizen, que una, o dos vezes bastará tener proposito de la emienda; y otros dizen, que la eche antes, porque queda en pie la ocasion proxima. Yo digo, que si este en casa à titulo de manceba, y luego la puede echar, o muy en breve, no lo abfueva antes de echarla, pues està ocasion proxima voluntaria; pero si la tiene como criada con salario, y en ministerio de casa, abforerlo la primera vez con proposito de bulcar otra, y echar la luego que pueda.] Ita ille.

2. Verum Tabiena verb. concubinarium, num. 2. docet expresse posse absolvi concubinarium promittentem abstinere, licet non abiciat concubinam; & hanc sententiam probat ex multis Joan. Sanch. in select. disp. 10. per totam, ubi num. 4. plus addit, scilicet, & si concubinarium ter, aut quater confessus in promissione elongandæ concubinæ defecisset, specialiter si præteritis vicibus aliqua, licet modica, emendatio esset inchoata, ut si mos esset inter concubinarium qualibet nocte eundem lectum occupare; post interpositas verò confessiones tertia nocte tantum accubarent, absolvendus erit. Sic ille qui n. 8. etiam tenet, quòd si statuerimus non fore absolvendum concubinarium sæpè admonitum utique dum expuletur concubinam, id intelligendum est, dum indicia dolotis, & propofiti fuerint ordinaria: at si extraordinaria inveniantur, puta lachrymarum copia, suspiria ingentia, & ut dici solet, cœlum attingentia, & proponat quamprimum tempus patiat, concubinam è sua domo expellere, absolvendus erit, etiam si mille id promississet, quia indicia præsentia superant præterita, coguntque Confessarium scititia non esse credere; at vera dispositione existente contringi Confessarium beneficium absolutionis impertiri, nisi excusetur prudentialiter, quia cogitet scititia esse ob præterita, & præsentia indicia, nullus in dubium revocavit.

3. Verum his non obstantibus ego puto, quòd quando penitens tenetur deserere occasionem peccandi, etiam possit Confessarius semel, aut iterum absolutionem concedere, antequam de facto expellat, eo quòd fudit expullurum, raro tamen illam concedere debet, sed potius cogere penitentem, ut à se peccati periculum expellat, & sic liberum velit absolvi. Moveor ad id affirmandum experientia magistratæ enim penitens (præcipue si ex illis est, qui semel in anno ad confessionem accedunt) occasionem expellit jam absolutus, sed iterum eisdem, & gravioribus peccatis se implicat, & Confessarius non solum officium iudicis, sed Medici debet exercere circa penitentem, ac proinde esto iudicet esse ritè dispositum ad absolutionem ratione firmi propofiti,

Tom. I.

quòd de præsentia habet, ideòque possit ex officio iudicis illi absolutionem concedere: at ex officio Medici tenetur medicamentum apponere, quòd videt esse unicè necessarium ad præcavendum futura peccata, timere enim iustè potest non fore removendam occasionem, si absolutionem non remota occasione concedat: hæc omnia docet Palaus tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. n. 18.

4. Nec desinam hic apponere ea, quæ circa præsentem questionem docet Megala in promptuario, verb. concubine, n. 6. sic enim ait: concubinarium ita secreti, ut absque ullo scandalo simul commorari valeant, absolvi possunt, quando arbitrio prudentis Confessarii nullum adest recidivi periculum, cessat enim tunc omnis causa, ob quam est separatio indicenda; sed rarissime hoc evenire solet, ut dicit Navarr. in manual. c. 16. n. 20. nec illos absolvendos esse dicit, nisi habeant propofitum deliberatum nunquam conversandi opere, animo, aut voluntate. Si verò non sunt ita secreti, ut absque ullo scandalo simul commorari valeant, nempe, quia unus, aut duo sciunt concubinatam, tunc absolvi non sunt, nisi separentur, quia etiam unius, aut duorum scandalum est vitandum, ut contra Angelum supra tenet Sylvest. in d. n. 2. Et hoc dicas procedere etiam in articulo mortis, nisi urgeat mors, & tempus desit, tunc enim propofitum sufficit, ut dicit Toletus in d. c. 10. n. 13. ubi etiam addit extra talem articulum primum esse separandos, & postea absolvendos. Intellige quando adest redivi periculum, aut aliquod scandalum quoad illos, qui in eadem domo non habitant, sed concubinarium sunt ad continuatam fornicationem, dicit aliquam experientiam sumendam esse de illorum continentia ante absolutionem; præsertim si sæpe propofuerunt se continere, & propofitum frangerent, nec tam perfecta contritio in illis apparet. Et quòd dictum est de concubinariis non secretis, dicit Navarr. in d. cap. 17. n. 20. procedere quoad eos, qui etiam concubinarium non sunt, populus tamen credit tales esse, quia non sunt absolvendi, nisi separantur, donec veritas illucescat, cum non solum ab omni malo, sed ab omni specie mali cavendum sit. Hactenus Megala.

RESOL. XXXII.

An in aliquibus casibus concubinarium non teneatur è domo expellere concubinam, ita ut Confessarius possit et licitè absolutionem impendere? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 108.

§. 1. Aliquos casus enumerat Joan. Sanch. in select. edit. Lugdun. disp. 10. n. 20. ubi sic ait. Infero negandam non esse absolutionem ei, qui suæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit centum aureos, quorum recuperandorum spes nulla supererit, si domo illam eiciat. Vel è contra si femina non recuperata esset centum sibi debita, si domum concubinarium desereret: dictum est enim supra, quòd nullus teneatur occasionem proximam vitare cum magno suo detrimento, nec tunc dicitur velle occasionem, sed permittere, cum non abigere occasionem non oritur, quia velit penitens in illa permanere; sed quia velit non incurere damnum, quòd abjecta occasione obveniret. Unde nec tenebitur domo eicere concubinam, si concubinario sit nimis utilis ad lucrandum bona temporalia, media negotiatione: sicut enim qui dives est, & officio laborioso fungitur, ut ferrarij, vel lignarij, strictus non est in die jejuni ab officio cessare, nec qui ad nundinas properat, tenetur in die festo

Sup. hoc supra ex doctrina Ref. 27. §. 2. post mediū, cursum in vers. Quod tamen, & late in Resol. 18. & 29. & ex Resol. 30. §. 1. hoc ergo, & §. ult. & in tom. 2. tr. 6. Ref. 119. §. Diffinitas in fine, & in tom. 7. tr. 7. Resol. 20. §. Respondeo. à lin. 8. & vers. licet non expellere. & in tom. 8. tr. 6. Ref. 4. §. Sed plus, cursum ad mediū, à

X 2 Missam

verf. Vt si
vir. & in Re-
fol. 5. § ult.
ad lin. 4. &
quamvis nõ
plene sup.
hoc lege ta-
men doctri-
nam Refol.
præterita.

Miffam audire, si ob id occasio accedendi elabatur, quantumcumque intendat ad nundinas ire causa augendi lucrum; sic nec concubinam ejicere, erit obnoxius concubinarium, si ex ejectione magnum emolumentum efflet non acquiratur; sufficit, namque proponere deinceps non peccare. Imò & si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij vulgò, *regalo*, dum deficiente illo nimis agrè ageret vitam, & alia epulæ tædio magno concubinarium affecerint, & alia famula ad id nimis difficile adinventur, ejicere illam non erit concubinarium obligandus, quia oblectamentum dictis circumstantiis consideratum est majoris æstimationis, quam quocumque horum temporale, ob quod fas erit cuique de novo admittere foemina ad sui famulatum, quantumcumque metuat labendi periculum, si aliam non inveniat paris qualitatis illis in rebus, quæ sibi sunt maximè utiles, si namque ob hanc causam jam receptam expellere non constringitur, eodem jure de novo admittere illam erit concessum.

2. Sed an hæc sint probabilia, aliis judicandum relinquo, quilibet enim tenetur salutis propriæ spirituali consulere, etiam cum aliquo temporali, & corporali detrimento. Et ideo primum calum, quem *ubi supra*, ponit Sanchez, refellit nominatim Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 9. §. 3. num. 14.* docens ejiciendam esse concubinam è domo, & amittendum debitum, ex cuius amissione concubinarium non grave damnum veniat. Sed potest aliquis dicere. Ergo secundum Palaum si grave damnum ex amissione debiti concubinarium patitur, non esse concubinam è domo ejiciendam ideo tu cogita.

3. Notandum est tamen hic non ejecta concubina posse absolvi poenitentem, cum cessat reincedendi periculum, quia deformis facta est, vel infirma, aut quia cognatio inter eos esset suborta, quæ ab ipsis contemni non creditur, aut nova alia interfint obstacula. Ita ex Graffio, Fernandez, & Lopez docet Sanchez *loco citato*, ubi *suprà num. 12.* & Castrus Palaus *num. 16.*

RESOL. XXXIII.

An Confessarius possit absolvere concubinarium amplius cum concubina non peccantem, permittens illam invisere sine alendi filios, & ne cum aliis ipsa se immiscendo sit dictis filijs dedecori? Ex p. 5. tract. 14. & Misc. 2. Ref. 109.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Beja p. 1. *cas. 14.* quia talis nihili æstimat peccatum scandali, in quod conjicit illos, qui vident ipsum ingredi domum concubinae, de quo ingressu non possunt non male judicare, tum, quia licet illa subventio sit opus charitatis respectu foeminae, & justitiæ respectu filiorum, cum tamen occultè, & per alios fieri rectè à viro illo possit absque hoc, quòd ipse ingressu suo det occasionem ruinae, & temerarij judicij videntibus, non potest à peccato scandali excusari, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 43. Tum demum, quia etsi ille non habeat animum accedendi denuo ad dictam concubinam, præbet tamen eidem concubinae ansam sua frequentij visitatione, ut verbis, voluntate, aut delectatione peccet, raro enim inter quos exitit diuturna illicitæ concupiscentiæ familiaritas, dissolvi, & extricari adeò potest, ut non remaneant quedam effrenatæ libidinis scintilla, quæ conspectu mutuo facile reviviscant.

2. Verùm novissimè adversus illum insurgit

Joannes Sanch. *in select. edit. Lugd. disp. 10. n. 9.* ubi sic ait. Non est credendum Patri Beja iniquienti non fore absolvendum concubinarium invidentem concubinam sine alendi filios, si ex ingressu oritur scandalum. Mutatur namque scandalum in passivum, cum ex justa causa non omittatur. Sic ille. Sed plus addit Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disput. 2. punct. 9. §. 3.* Resol. n. 11. nempe posse, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque alia via possunt victum querere, etsi periculum à rebus habeat lapsus cum concubina. Ita Castrus. Sed ego in tali casu non video cur concubinarium per alios non possit filijs alimenta dicta præstare, vel cum aliis lociis ita in domum meretricis intrare, ut scandalum locus esse minimè possit.

RESOL. XXXIV.

An parentes sint absolvendi, qui nolunt ad colloquium admittere filium, qui indignum matrimonium contraxit?

Et quid, si non indignum saltem multum inaequale? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 182.

§. 1. **C**asus est practicabilis, & ad illum respondet Layman *in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 4. n. 3.* ubi sic ait. Juvenis contra parentum voluntatem indigno matrimonio se copulavit, & non parvo dedecore familiam affecit, & propter parentes & fratres hominem ad colloquium suum admittere, eique veniam petenti ignoscere constanter recusant; queritur an à Confessario absolvi possit? Respondeo quòd pater offensus à filio in locum poenæ reconciliationem ipsi ad tempus negare possit, & idcirco reliquis suis liberis, totique familiæ præcipere, ut hominem, qui ita deliquerit, ad domum, vel consortium suum non admittant, quousque delicto convenientes poenas fuisse censuræ & familia hac in re præcipienti parere potest veluti ministri & executores justæ vindictæ paternæ. Quare Confessarius in hoc casu duo exquirere debet. Primum utrum pater, vel patres ex animi odio procedant, an solum justam vindictam spectent ad ipsius delinquentis emendationem, familiæ honorem, & aliorum majorem cautelam procurandam? Secundò ut vindicta, sive poena quæ tali filio irrogatur, non excedat mensuram delicti; quare in perpetuum non poterunt illi reconciliationem denegare, sed tantum ad tempus differre quousque videbitur conveniens ad punitionem & fines bonos consequendos. Ita Layman: cujus doctrina etiam ampliari potest, quando filius valde nobilis contra parentum voluntatem si non indigno, saltem multum inaequali matrimonio se copulavit, & ita in casu contingenti senserunt mecum docti recentiores.

RESOL. XXXV.

Quidam Sacerdos noluit absolutionem impendere cui-dam in trivenniis per totam vitam condemnato, quia habebat voluntatem quamprimum fugiendi, tunc statim solutionem hujus casus enixè à me petierunt. Et an hoc intelligatur tam in Religiosis, quam in secularibus? Ex p. 2. tr. 17. & Misc. 3. Ref. 39.

§. 1. **R**espondi, nimis rigidè in hoc se gerere Confessarium: nam licet Vasq. *in p. 2. q. 96. art. 5. disp. 174. c. 1. n. 7.* Becanus *in sua Theol. Salas p. 2. tom. 1. tr. 3. c. 7. q. 8. n. 4.* Valentia *tom. 3. disp. 5.*